



Rupertus optima indole præditus ob pietatis
 amore in monasterium Limpurgensem Spi-
 rensis diocœsis ingressus, ibidem liberalibus stu-
 dijs & omnis generis uirtutibus operam dedit. In
 ijs cum egregiè profecisset, eius loci abbas electus
 fuit. Cum autẽ is uideret, monachos paulatim stu-
 dijs relictis genio indulgere, atq; turpi otio & cra-
 pulis deditos esse, ipse magna diligẽtia eos officij
 admonuit, atq; suo exemplo ad sobrietatem pelle-
 xit. Erat Rupertus tanta uitæ continentia prædi-
 tus, ut nec carnes nec pisces ederet, neq; etiam ui-
 num biberet, sed leguminibus, ouis, lacticinjs, fru-
 ctibus, atq; aqua contentus esset. præterea in preci-

bus assiduus, & reliquum tempus studijs tribuebat. Itaq; monachi occasionẽ
 quærentes, ut hunc Abbatem expellerent, eum apud Arnolphum Spirẽsem
 accusarunt. Verũ Rupertus Spiram profectus sese egregiè excusauit.